



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

Torsellini, Orazio

Romae, 1597

Cap. 18. Sacerdos Dalmata Lauretum venit sua exta præferens manu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

in suis donis ignota esse voluerunt. Quibus ex donis illa eminent maxime. Statua argentea B. Virginis cum effigie pueri Iesu globosum orbem tenentis manu, pondo librarum octo. Huic altera adiecta argentea item statua, & pōdere par, & specie similis: hoc vno differt quod Christus puer matris gremio insidet, dextra prætendens pyrū. Alia rursus ex argento expressa B. Mariæ effigies librarū xī. Itemque alia, pari fere pondere, cum Cæsareæ Aquilæ insignibus, vt vnde ea sit, haud ægre appareat.

Dona ab
Ignotis.

*Sacerdos Dalmata Lauretum venit, exempta sibi exta
præferens manu. Cap. XVIII.*

Eodem fere tempore permira res, & magis propter infinitam Dei vim, quam propter facti nouitatem, credibilis, Lauretanam Aedem longe insigniorem fecit toto orbe terrarum. Sacerdos erat Dalmata vir antiqua simplicitate, idemque Lauretanæ Virgini vnice deditus. Hic forte captus à Turcis, cum ad deserendam religionem omni artificio pelliceretur; nefarias voces non dicam animo, sed auribus admittere nullo modo sustinebat. Itaque importunos illos hortatores auersatus, vt eis ægre faceret, vltro Christum, ac Mariam identidem inuocabat. Stomachantibus illis, sciscitantibusque cur tandem illa nomina vsurparet, quia hærent mihi (inquit) in præcordijs. Ibi Turcæ minitari, se præcordia ipsa extracturos, nisi exemplo Christum Mariamque exsecretur. Erratis (inquit ille) præcordia mihi auferre potestis, Christum & Mariam non potestis. Tum verò illi furentes ira sacerdotem ferro pariter inuadunt. Hic Dalmata Lauretanam inclamās Virginem vouet, si vita suppetat, primo quoque tempore se ad eam iturum. Ea vox iratos magis accendit. Igitur hominem circumfistunt, & discisso apertoque pectore, intestina à summo recisa extrahunt: eaque semineci, iam

Tradit Lau.
Ann. Laur.
Rieræ.

M 2 iamque

iamque ut rebantur, casuro tradunt, simul per ludibrium increpantes. Abi iam propera, & praecordia in quibus haerere ait Mariam Lauretanam, ad eam perfer, uti uouisti. Excedit fidem, non tamen diuinam vim, quod deinde memoratur. Moribundus sacerdos, Deo mortem morante, viresque suggerente, porro ire pergit: multorumque dierum itinere celeriter emenso, Lauretum peruenit sua exta praefereus manu. Quacumque incedit; concursus ad eum fieri, seu uisendi studio, seu rei cognoscendae. Et ille Lauretani praecipue templi ministris apertum, vacuumque petus, & praetenta manu viscera ostentans, totam rem breuiter enarrat, cunctis stupore atque admiratione attonitis. Ad ultimum gratijs Virgini enixe actis, & solemnibus Confessionis, Eucharistiaeque praesidijs communitus, in Deiparae conspectu, complexuque (ut credere par est) efflauit animam. Exta ipsa e regione sacrosanctae cellae suspensa diu aduenis spectaculo fuerunt. Quibus tabe absumptis, exta e ligno assimulata, atque ibidem affixa multos annos monumentum ei fuere miraculo. Caterum quia rusticani homines Lauretanum templum ingressi, animis tali spectaculo occupatis, Deiparam seigniore colebant cura; tandem ea tolli placuit. Itaque Paulo III. Pont. per occasionem firmandi pilas, quibus tholus incumbit, tigillum unde illa pendebant, deiectum est. ad conseruandam tanti miraculi memoriam, sacerdos praecordia praetendens in tabella depictus, addita breui totius rei narratione, & in publico propositus, qui hodieque uisitur. Miraculum quidem ipsum adeo testatum est, ut nefas sit de eo dubitare. Multi adhuc uiuunt, qui testantur exta e ligno expressa ab se uisa, pluresque accolarum auditos, cum dicerent, exta ipsa adhuc recentia ab se conspecta esse Dalmatae sacerdotis.